



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Sect. 1. Sensus hujus disputationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

TRACTATUS TERTIUS.

Divus Josephus Filius Davidis Regis
in Esse Supernaturali.

TRACTATUM præcedentem de Naturalibus Divi Josephi Filii Davidis Regis Prærogativis finivimus per dissertationem de eius Pulchritudine externâ & naturali: præsentem instituímus, prosequemur & absolvemus in consideratione pulchritudinis eius internæ & supernaturalis, non inconsequenti nexu & ordine. Qualis ergo fuerit hic filius Davidis corâ Deo in esse supernaturali, hoc est in gratiâ & sanctitate, non omni & totali, sed eâ solùm quâ ornatus est antequam ad desponsationem Deiparæ perveniret, hic differendum: Quatuor autem omnino hæc materia complectetur. Primum, An Divus Josephus cum gratiâ ex utero Matris processerit, seu an in utero Sanctificatus sit? Secundum, An ei usus rationis acceleratus? Tertium, An in gratiâ confirmatus? Quartum, An etiam in eo peccati fomes extinctus seu ligatus? Quæ eodem ordine prosequemur.

CAPUT PRIMUM.

*An D. Josephus fuerit in utero
Matris Sanctificatus.*

I. **M**ITHI (aiebat Paralytus quidam apud Treviros corâ Constantino Magno de Constantino Magno perorans) *Deorum immortalium munus & primum videtur & maximum, in lucem statim felicem venire.* Felicem ille existimabat, & existimant omnes, beatitudinem ex oculis metientes, illum quæ inter purpurea tapetia in speciem Re-

galis seu Imperialis tituli prodibat: Felices Cæsares, olim à Græcis Porphyrogenitos appellatos scimus, quod illos inter Aulæa aurea in Porphyrio & Margaritis, velut ad futuræ præjudicium fortunæ obstetricum manus excipiebant: Quod si illi felices, qui etiam plorantes & ejulantes, ut cæteri, in argumentum & præsentium & futurorum dolorum nascebantur: Si felices fortunæ forrè ludibrium, & grande miseriarum spectaculum futuri, quia Porphyrogeniti: Si felices, futuri forrè victiorum tervi, quia Gentibus dominanturi: quantò feliciores illi quibus obtigit, ut nascentes in divinæ brachiis gratiæ, in cœlesti flagrantissimâ charitatis purpurâ molliter exciperentur? Obtigit porrò id certò certius Virgunculæ Mariæ, Magnæ Dei Genitrici: sed an aliis etiam Divis? an D. Josepho Virgineo ejuldem Virginis Sponso. & Christi Patri amantissimo, Custodi, Nutritio sedulissimo? Hic inquirimus, de aliis quidem ex occasione, & quantum ad intentum nostrum conferet, de Divo Josepho verò specialiter & ex professo.

SECTIO PRIMA.

Sensus hujus Disputationis.

II. **P**Riusquam de hæc materiâ disputemus, Materia ipsa de quâ disputaturi sumus dignoscenda est, ut aptè, congruè, & clarè ad rem loquamur.

III. **O**bservandum ergò duplicem esse in utero Sanctificationem: unam quæ supponit peccatum in subiecto, à quo per illam emundatur: Alteram quæ nullum

nullum supponit peccatum, sed solam importat gratiæ seu sanctitatis infusionem, quæ sit in eodem ipso instanti in quo materiæ in matrice perfectè dispositæ anima unitur: Prima acceptio sanctificationis est communior, cum enim omnes naturaliter in peccato concipiuntur, nullus sanctificatur, qui non à peccato, quo erat infectus, expurgetur. Secunda tamen Sanctificationis acceptio est magis propria, quia Sanctificatio præcisè & formaliter non importat peccati destructionem, sed tantum gratiæ & sanctitatis positionem.

IV. Primo modo, plures Sancti dicuntur à nonnullis sanctificati in utero (an omnes rectè postea videbimus) quia ibi à peccato originali, in quo concepti fuerant, emundati sunt speciali Dei gratiâ & beneficio: Secundo modo, B. Virgo Deipara, quia hæc nequaquam ab illo mundata, sed ne in illud caderet singulari privilegio præservata: quod ita nunc certum est ut Summus Pontifex Alexander VII. è cathedra pronuncians per Decretum suum die 11. mensis Decembris anni millesimi, sexcentissimi, sexagesimi primi, statuât esse veterem pietatem fidelium sentientium Animam Beatæ Virginis in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratiâ ac privilegio, intuitu meritorum Jesu-Christi ejus Filii humani generis Redemptoris à maculâ originali præservatam immunem: atque in hoc sensu ejus Cõceptionis festivitatem ab Ecclesiâ solemnè ritu coli. Et infra pronunciat eandem Ecclesiam esse in possessione istius sententiæ & cultus, à quâ conabantur eam deturbare illi contra quos Bullam istam edidit. Hanc refert ad longum noster Franciscus Bona Spei tomo 2. suæ Theologiæ, pagina mihi 224.

V. Basilius à Poncio Leone Salmanticensis Magister Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, sui temporis Doctor celeberrimus, & ab ingenii sui & magnæ litteraturæ fortibus toto orbe notissimus, anno 1605. in festo Sancti Josephi coram confertâ multitudine è sacro suggestu de laudibus ejusdem Sanctissimi Viri perorans, pronunciare nondubitavit, Patre Carolo Veron

ejusdem Ordinis teste auriculari, & in suo Opere Gallico, cui titulus, *Triomphe de Saint Joachim & de Sainte Anne*, lib. 4. cap. 12. Relatore. Si quinque vel sex Doctores seu Theologi alicujus meriti invenirentur, qui Sanctissimum Josephum secundo sanctificationis modo donatum, idest à peccato originali præservatum fuisse assererent, se eis indubitanter adjuncturum, ejusmodique assertum tot tantique ponderis rationibus futurum, ut omnis æqui Judicis assensum esset obtenturus.

Joannes Carthægena ex Ordine Minorum & ipse celeberrimus tomo 1. de Arcan. lib. 4. homil. 12. postquam asseruit esse opinionem Authorum sine numero, quod Divus Josephus fuit in utero ab originali mundatus, addit *Immò Eruditissimus noster Bernardinus de Busto Marial. 4. part. serm. 12. postquam retulerat opinionem cujusdam dicentis divinius præservatum fuisse ab originali culpâ, non audens illam damnare ait, utrum autem Joseph ab originali maculâ præservatus fuerit, ipse Deus novit qui talem in Patrem Putativum sibi, & Governatorem suæ Humanitatis, & dilectissimæ Matris suæ Conjugem super omnes homines elegit.*

Pater quoque Jacobus Lobbetius è Societate Iesu Leodiensis tom. 3. quæst. Evangelicar. quæst. 1. de sancto Iosepho asserit quosdam fuisse inventos qui idem asseruerint, conceptionem scilicet D. Iosephi fuisse immaculatam uti sponsæ suæ, ut sic sponsus sponsæ fieret conformis.

Hanc opinionem tamen approbare non possum: primò, quia cum Beatissima Virgo Deipara longè altiori titulo sit Mater Christi, quam D. Iosephus sit ejus Pater, non debet hic sponsæ suæ ita in omnibus æquiparari, ut sit per omnia ei par: Quare hoc privilegium quod Divæ Deiparenti tanto labore Doctores vindicarunt, & in cujus possessione est apud piam Ecclesiæ fidem ex Decreto citato Alexandri VII. debet illi esse ita speciale, ut nulli alteri sit communicabile, propter specialem quam habet ad Christum affinitatem: ex quo scilicet Christi caro, ut ait D. Augustinus est caro Mariæ. Cum ergo aliqua pars carnis Mariæ sit quasi

R 2

per

Synopsis

Immaculatus
D.
Iosephi
RV
1605

per identitatem pars carnis Christi, aded ut eam portionem carnis quam Divinum Verbum ex Virgine Matre assumpsit, & cum qua ex ejus utero prodiit, nunquam dimiserit, non debuit certè illa caro aded aliquando saltem secundum aliquam sui partem elevanda, fuisse unquam caro peccati, ut fuisset, si B. Virgo originale contraxisset.

IX. Neque tantum non approbo istiusmodi opinionem, sed etiam improbo, nec tutam esse censeo: & quidem P. Lobbetius citatus quaest. 2. Moral. de Sancto Iosepho scribit Urbanum VIII. prohibuisse eam è pulpito jactari, in scholis doceri, & libris impressis vulgari, & si quid emanasset ejusmodi supprimi: cui, si extat, nihil Ecclesiae filiis addendum: sed volvi & revolvi Bullarium Magnum Cherubini in hoc Pontifice, & nullam apud eum talem istius Pontificis Constitutionem reperire potui: cum verò hæc ad intentum meum faceret, Lobbetium mihi notissimum accessi: ex eo sciscitatus sum de isto Urbani à se in isto opere adducto decreto, qui nihil mihi respondere potuit nisi se certò legisse istud decretum, sed non posse recordari apud quem Authorem. Credo tamen ei ut candidissimo ex opinione meà viro.

X. Sed sive extet, sive non extet, istud Urbani VIII. Decretum, tutam non est ista sententia post determinationem Sacri Concilii Tridentini, Sess. 5. in Decret. de pecc. orig. in fin. in hæc verba statuentis: *Declarat tamen sancta Synodus non esse sua intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem.* Cum enim omnes ex Adamo descendentes per carnalem propagationem in Adam peccasse sine ullà exceptione pronunciet Scriptura, & Adæ peccato inquinari in Conceptione dicat Concilium, ita ut non nisi Virginem solum hoc suo decreto absolvat, satis ostendit temerarium fore ullum alium velle hoc Decreto generali eximere.

XI. Quare hanc Sectionem finio per lepidum quorundam Rabbiorum Commentum, quod aliàs me legisse memini. Hi finxerunt Og Re-

gem Basan, gigantem illum quem Moyfes interfecit, natum ante diluvium, usque ad Moysem vitam produxisse, idest ad annos mille & multos supra: Aquas porrò evasisse diluvii, quod tantæ fuerit proceritatis, ut altissimis quibusque altior Montibus esset, unde non mirum quod omnibus aquis diluvii supereminuerit: quàm ridiculum istud Commentum: Cum ergo nullus sit qui illud non existimabiliter, cavebo, & omninò cavendum, ne qui Sanctissimum Christi Patrem Divum Iosephum in sanctitate gigantem credimus, ejus idem magnitudinem ita protendamus, ut cum aquis peccati originalis, quibus omne humanum genus immersum est, supereminuisse credamus, aliisque ut credant suadeamus, sicque ridiculi fiamus, & vel falsa, vel minus certa de eo affirmando, ut cum magnum faciamus, vera & certa, quæ sufficiunt ad hoc, & porrò dicturi sumus, dubia reddamus. Itaque quaestio proposita procedit solum de sanctificatione in utero primo modo sumptâ, idest de illâ quæ peccatum originale in subiecto supponit, quod adveniendo expulerit.

SECTIO II.

Quid sentiendum de illis qui aliquos Sanctos asserunt in utero sanctificatos.

CERTUM est primò, & de fide omnium homines ab Adamo per viam feminalem descendentes, prævaricationis illius participes (utpote in cotanquam in capite contentos) in peccato naturaliter concipi, & naturâ esse filios iræ. XII

Certum est secundò, ac etiam de fide, sequiturque ex præcedenti, omnes in eodem peccato naturaliter extra uterum nasci: quæ duo Hæretici Pelagiani prætractè negabant, asserentes peccatum Adæ nullum posteriorum ejus reum constituisse, sicque omnes homines, & intra uterum concipi, & extra uterum naturaliter nasci immaculatos. XIII

Propter